DE SCARLATINA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIX. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXIV
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET Liebeskind
AUCTOR

FR. CAROL. LIEBESKIND
KELBRANO THURINGUS.

OPPONENTIBUS:
CHR. HEIDRICH, MED. DD.
C. MUEHLMANN, MED. CAND.
AUG. PAULI, MED. CAND.

BEROLINI
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

SUMME VENERANDO SIBI AMICISSIMO

IOAN. CHR. IOHNIO

COMMISSARIO IUSTITIAE ET CONSULI KELBRANO.

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

OMNI, QUO PAR EST, AMORE

DEDICAT

AUCTOR.

Aetas iuvenilis omnium maximam habet dispositionem morborum nanciscendorum et a multiformibus eorum speciebus admodum infestatur, praecipue vero nostris temporibus saepius, quam olim, a scarlatina haud raro perniciosa affici videtur.

Tempus et locum, quo hic morbus primum exstitit, multorum saeculorum obscuritas cognitioni nostrae subducit. Passim quidem in scriptoribus medicis invenimus vestigia morborum quoad formam scarlatinae, qualis nunc ea observatur, haud dissimilium; nec tamen concludere inde licet, eam ipsam illis, qui antiquissimis temporibus artem medendi professi sunt, iam clare innotuisse. Etenim num pestilens illa epidemia, quam Athenis grassatam Thucydides praeclare describit, scarlatina fuerit maligna epidemica, ut vult Malfatti 1) num anginae malignae, quarum Aëtius

1) Hufelands Journal 12 Bd. 3 St.

et Aretaeus mentionem faciunt, species quaedam scarlatinae sint habendae, quod putat Pfeuferus, adhuc versatur iu dubio. Nonnullas morborum formas, quas ab italis et hispanis decimi quarti et quinti seculi scriptoribus cemmemoratas reperimus, malignas scarlatinae fuisse species paululum a natura, quam ea solet habere, deflectentes, veri multo est similius. Cum illis et antecedentibus temporibus non ea, qua opus erat, accuratione sit observatum; qui hunc morbum iam antiquitus exstitisse et fortasse formam morbillorum vel variolarum alienam habitum fuisse autumant, omnino habent, quo opinionem suam defendant. Saeculo decimo sexto et septimo iam melior eius acquisita est cognitio, quamquam nondum satis clare distingueretur a morbillis. De similibus, quae observabantur, formis certiores nos facit Ingrassias Neapolitanus, morbum describens, quem Rossaliam sive Rossaniam a Neapolitanis dictum esse refert. Nec non Forestus Batavus memorat morbum scarlatinae similem. Clarius vero quam omnes, qûi antecesserunt, autores Sennertus, Professor Wittebergensis, eam depinxit non oblitus afferre proclivitatem, quae huic morbo est, aquae abundantiam in corpore contrahendi.

Quae primum nobis relata sunt de peculiari febris scarlatinae specie, debemus Sydenha-

mo 1); deinde Mortonus etiam Anglus, de epidemia perniciosissima locutus est, quae Londoni magnas ediderit strages. Posthac plures bene de hac re agentes tractatus prodierunt, qui simul peculiarem scarlatinae naturam statuere tentarunt. Bonum huiusmodi libellum conscripsit Plencizius 2) alium laude dignum Witheringius 3) Anglus et Bikerus Batavus. Praater hos et multi recensiores autores de hac materia egerunt, quorum suo loco diligentius faciemus mentionem.

Definitio morbi.

Omnia, quae autores hactenus de natura scarlatinae explicanda disseruerunt, nonnisi e symptomatibus morbi depromta sunt, quia accuratior internae naturae cognitio adhuc desideratur. Inde notio ita solet definiri: Scarlatina peculiare est exanthema cutaneum, unum eundemque hominem plerumque semel tantum infestans, peculiari contagio vel miasmate oriundum, cum febre et angina coniunctum indole fugacissima magnaque in morbos hydropicos transeundi proclivitate excellens. Cum vero magna sit symptomatum inconstantia, quorum saepe unum et alterum plane deest, cum ipsa exanthematis forma admodum

---

1) Opuscula. — 2) Tractatns de scarlatina. Viennae 1780. — 3) Beschreib. d. Scharlachfibers, übers. 1781.

variet, haec quidem explicatio symptomatica non omnibus satisfacit rationibus. Erant enim qui scarlatinam sine angina apparere viderent, ut Sellius 1) et Hoffmannus 2); erant etiam, qui anginam sine exanthemate observarent, e. gr. Heimius, Rosensteinius, Conventry 3), Reilius 4).

Diagnosis.

Nititur ea I., in forma exanthematis et II. in symptomatibus comitantibus.

1) In forma exanthema est diversissimum; phaenomena vero, quae plerumque manifestat, sunt haec:

Maculae magnae, rubrae, adsolitum roseae, interdum es rubro subnigrae, vel etiam lividae et fuscae magnitudine unum vel duos vel tres pollices aequantes, figurae variae, saepe confluunt, totum aliquod membrum obtegentes, quid? quod haud raro maximam corporis partem aequali rubore obducunt. Hae maculae non solent esse elatae, interdum tamen supra cutis superficiem exsurgere videntur et quo copiosius est exanthema, quo latius extensum, eo magis universa cutis in-

---

1) Rudimenta Pyretologiae. — 2) Erste Nachricht v. d. Anstalt f. arme Kranke in Altorf. 1787. — 3) De scarlatina cynanchica. — 4) Ueber die Erkenntniss und Cur der Fieber. Bd. 5. pag. 107.

tumet, ita ut nonnunquam graves cieat dolores, in extremitatibus motumque digitorum impediat. Locus, quem exanthema occupat, urit et prurit et digito pressus album praebet punctum, quod eo delato, ut in erysipelate, iterum disparet et rubori cedit. Maculae motionibus febrilibus aliquot dies antegressis subinde tantum provenire solent, interdum intra viginti quatuor horas, vel etiam intra duos vel tres dies erumpunt, crescunt magnitudine ac colorem sumunt saturatiorem, ita ut tertio post eruptionem die plane exscultae appareant. Primum in manibus ostendere sese solent, deinde in vultu, pectore, abdomine et pedibus, quod quidem non semper, sibi constat. Si per tres vel quatuor vel sex dies manserunt, plerumque cutis in magnis laciniis desquamatur, ita ut ea tota haud raro perinde ac vestimentum aliquod detrahi possit.

Primum et praecipuum inter symptomata comitantia est angina, saepe non minus constans, quam tussis in morbillis unde factum est, ut antiquiores medici, v. c. Storchius et Sydenhamus, anginam comitantem malignam non symptoma sed morbum ipsum habentes scarlatinam eius sub nomine descripserint. Sunt etiam nostris temporibus, qui scarlatina affectos peculiarem odorem exhalare dicant eumque signum pathognomonicum statuant, inter quos Heimius. Statim

ab initio morbi, priusquam exanthema in conspectum veniat, eum percipi posse, in ipso autem decursu paullulum minui aiunt; et quo levior is scarlatina oriente et decurrente spargatur, eo maligniorem eam esse. Heimius comparat cum odore, qui exit e tabernis apertis, ubi haleces et casei vetustiores venales habentur, vel qui haud procul a caveis, ubi ferae càrnivorae bestiae inclusae tenentur, nares afficit. Sed admodum dubitandum est, an peculiaris hic odor a multis possit sentiri.

Cum, scarlatinae rationem accurate contemplantes, ne unum quidem invenimus symptoma certum quod nunquam desit, cum praecipue character febris est respiciendus, cum formae exanthematis ob multiplicem, quam saepe prae se fert, speciem minus fidei est habendum, cum medicus maculis non apparentibus demum in stadio desquamationis certo cognovit, scarlatinam revera adfuisse, per se intelligitur, qui cum aliis exanthematicorum morborum formis conferre velit, eum non multum lucri inde esse facturum.

Decnrsus normalis.

„Cum scarlatina," ait Reilius, „raro ex una specie, sed plerumque e fortuito conventu plurium specierum consistat, earum decursus et

complexio et successio symptomatum non potest non esse admodum variabilis et multiplex." Ob summam hanc phenomenorum vicissitudinem et inconstantiam certam, quam scarlatina sequatur et in evolvendo sese et in decurrendo, legem statuere non licet. Si vero eam, quae leniter decurrit, regularem eamque, quae impetuosa, celere et periculosa ratione aegrotum infestat, anomalam declare volumus, tunc decursum benignum ac normalem in tria haec stadia distribuere possumus.

I. Stadium prodromorum seu irritationis s febrile. Incipit a malo corporis habitu per plures dies continente; inquies, anxietas, in universum affectio morbosa totius corporis, lassitudo, morositas, vertigo, capitis dolores, horripilatio, saepe cum calore vices peragens; sitis, somnus incertns apparent, quibus accedunt motiones febriles plus minusve acres (praecipue sub noctem exacerbescentes; cutis est sicca et urens; lingua est albida, marginibus e rubro candescentibus prominentibusque circumducta, saepe crasse et gastrice obtecta; pulsus plerumque frequens, duriusculus, contractus, interdum mollis, irregularis, parvus; urina rubra, turbida. His associantur stupor in liberis sopor, in adultis insomnia, nisus vomendi vel et ipse vomitus, fluxus, saepius vero obstructio alvi, respiratio accelerata, haud

vero epistaxis, nonnunquam incommoda catarrhalia, Pro praecipuo signo diagnostico dolorifica sensatio anginosa est habenda, quae cum difficultate deglutiendi iam hoc in stadio observari solet, interdum etiam una cum exanthemate comparet. Exacerbationibus febris ingravescentibus facile deliria et omnis generis convulsiones inprimis ante exanthematis eruptionem terrent.

Qualis tandem morbus inde sit oriturus, hoc tempore non clare potest cognosci, nisi forte angina iam vexans vel epidemia iam grassans diagnosin stabilit.

Hoc stadium continet per duos vel tres dies; deinde sequitur. II. Stadium exanthematicum, quod complectitur spatium, quo exanthema paulatim efflorescit et deflorescit. Nec tamen id certis optemperat regulis, si provenit, nec certo quodam die toti corporis superficiei superfunditur; plurimum vero incipit ab antibrachio, transit pedetentim ad vultum, et occupat deinde pectus, abdomen et femora. Quoad formam, ut iam supra memoravimus, diversissima ratione est constitutum et subtilissima exhibet, discrimina, quippe quod modo vix oculis conspici queat, modo colorem ruberrimum igneum ducens purpurae rubrae haud dissimiliter exsurgat, ita tamen, ut nihil valeat in exitum diiudicandum. Nec inter anginam quae in hoc stadio plane est exculta, et

exanthema certa aliqua interest rationis coniunctio; eo enim proveniente interdum illa mitescit, saepe vero ingravescit, saepe pariter diu aegrotum tentat, atque exanthema, quod, si qua in parte magnum est, satis gravem progignit tumorem. Crebro febris hoc temporis spatio aliquantum remittit, tunc et deliria, vehemens anxietas et symptomata spasmodica evanescere solent; crebro autem febris non multum remittens perstat et plerumque continuae remittentis typum induit. Calor saepenumero summus est nec raro augetur ad 106 vel 112° thermometri Fahrenheitiani 1). Pulsus universim in scarlatina solet esse frequentissimus. Tempus huius stadii consuetum tres vel octo dies explet. Morbo mitissime decurrente, rubor iam secundo vel tertio die disparet; saepe pluries redit iterumque abit, quid quod frequenter celerrime abit nullo gravi incommodo inde oriente.

III. Stadium desquamationis, quod initium capit exanthemate deflorescente cutisque rubore evanescente. Desquamatio tam commune est huius morbi sympsoma et constans, ut quodammodo necessarius eius effectus habeatur a medicis. Rubor macularum paulatim pallescit tandemque plane disparet; cutis prurit, corrugatur;

1) Bang, Praxis medica.

epidermis emortua in magnis laciniis, rarius in parvis furfurosis particulis a cute absolvitur. Desquamatio sensim eodem quo exanthema se prodidit, modo procedit et nonnunquam in una eademque parte pluries repetitur, et qamquam non semper eius ratio cum illo accurate conveniat, eo tamen copiosior est, quo latius illud fuit disseminatum. Si gravior praecessit angina, tunc et internae colli partes desquamationi cuidam sunt obnoxiae; etenim vel crustae vere solvuntur vel magna mucosae et purulentae materiae copia spuendo eiicitur. Praeterea aliae criticae excretiones incidunt, ut sudores profusi, largus urinae effluxus etc., factaque desquamatione, si decursus erat normalis, febris, angina et reliqua comitantia signa quiescunt et scarlatina stricte sic dicta orbem symptomatum suorum colligit.

Multiplices nec ita rari morbi secundarii post scarlatinam non absolute sanatam orientis forte fortuna, non necessitate aliqua producuntur 1).

Cum vero saepissime periculum facessant, plerisque medicis quartum stadium placuit statuere, quod est.

IV. Stadium metastasium vel morborum secundariorum. Inter hos hydrops tam

1) Simon, Horns Archiz Jahrg. 1824.

frequenter obvenit, ut plures medici peculiare stadium hydropicum scarlatinae ponendum putarent. Plurimum in initio anasarca et posthac in internis partibus, in capite, pectore, abdomine aquae colluvies generatur. Decursus tam acutus, quam chronicns esse potest, incipiensque fluidorum collectio eo se manifestat, quod plerumque primum palpebrae, deinde manus et pedes et externae partes obscoenae tumore turgent. Modo paulo post desquamationem, modo demum post quatuordecim dies et serius aqua morbose confluit; lotii secretio parca vel suppressa praegreditur, febris renovatur, aeger anxietate, difficultate spiritum ducendi etc. cruciatur et ita, si decursus est acutus, morbus cito saepe crescit et brevi desinit in mortem, quod quidem lentius fit in decursu chronico. Accidit etiam, ut aegri mortem celeriter per apoplexiam obeant sine aquae accumulatione.

Praeterea ad morbos secundarios, qui minus frequenter medico observantur, pertinent tussis, ophthalmia, indurationes et suppurationes glandularum, praecipue parotidum, exulcerationes, caries, phthisis, febris hectica aliique morbi chronici.

Normalis, quem modo descripsimus, scarlatinae decursus saepe singulari modo in epidemica vel in singuli cuiusque constitutione, postissimum vero in magna, qua febris ratio excellit,

varietate positus est. Quo magnis febris in naturam inflammatoriam, nervosam vel putridam inclinat, quo vehementior est eadem, quo violentius symptomata invadunt, eo maiorem et varietatem et malignitatem morbi decursus tunc praebet. Qua de causa multi decursum irregularem scarlatinae sumunt; cum vero non semper statuere liceat, quae phaenomena in altioribus febris gradibus normalia sint habeuda et quae abnormia, nec importunum nec alienum laborem suscipere mihi videor, si diversas species et complicationes febris commitantis hic enumero.

Varietates febris.

1. Febris scarlatina inflammatoria. Fere quaeque scarlatina, quae secundum regulam decurrit, in mitioribus gradibus praecipue in primo et secundo stadio hunc characterem habere et imaginem status supra depicti ante oculos nobis ponere solet. Si indoles inflammatoria altiorem ad gradum adscendit, tunc symptomata paulo vehementiora sunt, morbus saepe cito et impetu quodam erumpit, angina invalescens comitatur ab affectionibus cerebri, saepe terrent sanguinis profluvia, pulsus est durus, plenus, respiratio brevis et calida, cutis temperies valde aucta, anxietas et inquies turbat magna; saepe accedunt inflammationes intestinorum, pulmonum, cerebri, rarius

viscerum abdominalium. Exanthema saepe non in conspectum venit, vel in singulis tantum partibus, vel subito erumpit et evanescit, quod modo damum affert aegroto modo nihil nocet. Interest etiam scire, plerumqueindolem hypersthenicam in primo stadio mature et cito transmutari in asthenicam, ut volunt Hufelandius, Kreyssigius, Struvius, Cappelius.

2, Scarlatina asthenica vel nervosa. Haec forma, quae nostris diebus crebrius quam olim occurrere videtur, saepe caedem magnam edit. Febris aut statim ab initio est asthenica, omnibus symptomatibus comitantis febris nervosae urgentibus, aut, quod saepius usu venit, status praesto est, qui videtur esse hypersthenicus et celeriter in astheniam transit.

Febris plerumque ingruit plus minusve vehemens et sensim gravis virium suppressio, color cutis apparet pallidus, universim magna symptomatum se exhibet inconstantia. Etiamsi exanthema optime flovet, tamen saepe phaenomena febrilia et affectiones cerebri graviter invalescunt. Nonnunquam exanthema repente abit, quod natura est admodum fugax, et sequuntur deliria, stupor, convulsiones cuiusque generis, haud raro accessiones apoplecticae, inflammatio viscerum nobilium nec raro subita mors intra viginti quatuor horas. Ubi scarlatina malo corrupta est cha-

ractere, atrocia febris, licet exanthema iam eruperit, acerbius increscere adsolet. Tertio stadio si aeger non succubuit, morbi secundarii imminent magnum periculi metum obiicientes. Sunt epidemiae singulae, quae inprimis malitiosae huic et truci indoli favere videntur.

3) Febris scarlatina putrida. Nascitur haec ex phaenomenis febris putridae et saepe ab antegressae febris forma proficiscitur. Signa colliquationis serius ocius se manifestant. Febris nonnunquam in initio speciem inflammatoriae prae se tulit cum pulsu pleno, deliriis atrocibus, calore magno et exanthemate floride rubente, celeriter plerumque iam primo febris die erumpente; deinde fere semper vires celeriter decrescunt, pulsus tangitur parvus, irregularis, celerrimus, calorque sentitur mordax, exanthema est decolor, subcaeruleum, subnigrum, terrentque sudores colliquativi et profluvia sanguinis praecipue ex naso cito debilitantia; angina in hac febris forma characteristicam assumere solet malignitatem et in suppurationem et gangraenam transire, unde evadit forma anginae malignae, putridae et gangraenosae, quae iam crebius perniciosissime est grassata.

Aegroti plurimum iam primo febris die rigiditatem et sauciationem in collo sentiunt, irraucescunt, commode deglutire nequeunt, et quibus-

cunque fruuntur, ea sapiunt fastidiose et putride. Totum oris cavum, potissimum in regione tonsillarum est inflammatum, rubrius et tumidum; initio saepe nihil nisi parva pustulosa puncta aphthis haud dissimilia observare licet, postridie vero iam docolores maculae primum in tonsillis in conspectum veniunt, quae se latius effundunt; formantur crustae, quas supervenit ulcus gangraenosum putridum, pessime olens tetramque saniem edens, quae, si deglutitur ab aegroto, vomitum, molestissimum ardorem, colicam, diarrhoeam movet et tam vicinas quam remotiores partes, quas tangit, inflammat et arrodit. Respiratio est impedita, anxia putridumque exhalat odorem ac cadaverosum, labia et lingua livescunt, dentes nigrescunt et partes circumiectae pallido et tetro colore tinguntur. — Aegrotus tandem accessionibus apoplecticis tentatur, aut post quinque vel septem dies plerumque, ob virium vitalium exstinctionem aut ob perniciosas aliquas destructiones spiritum reddit, nisi confestim huius status difficultates gravissimae abalienantur.

A e t i o l o g i a.

Utrum miasma seu contagium scarlatinae existit, an in ipso corpore humano unice eius semen est quaerendum a nonnullis externis universalibus conditionibus modo fotum?

Sydenhamus 1) nihil eam esse ducit, nisi „mediocrem sanguinis effervescentiam a praegresso aestatis calore aut alio aliquo modo excitatam."

Plencizius contra ut omnes morbos exanthematicos, ita et scarlatinam ab animato veneno proficisci ait, a bestiolis oriundo earumque seminiis in aura natantibus et in corporis superficiem se inserentibus.

Witheringius per nares, os, ventriculum materiam contagiosam veneni ad instar in nervos agere opinatur.

Marcur 2) sedem scarlatinae in partibus cutis mucosis ponit, eius naturam inflammatoriam habet originemque potissimum a vicissitudine caloris et frigoris petendam esse autumat, qua cutis functio perturbetur.

Wendtius 3) causam occasionalem pārtim in miasmate e constitutione tempestatis evoluto partim in contagio ab alio aegroto in alium translato quaerit.

Pfeuferus 4) scarlatinam a peculiaribus cosmicis et tellustribus rationibus produci et in sin-

---

1) eius Opera.

2) spec Therap 3 Bd.

3) Das Wesen, die Bedeutung und die ärztl. Behandl des Scharlachs. Breslau 1819.

4) Abhandlung vom Scharlach 1819.

gulari gradaria evolutione universalis vitae terrestris necessario constitui contendit.

Berndtius miasmaticam et contagiosam propagationem scarlatinae sumit.

Itaque cunctis auctoribus, excepto Sydenhamo et Marco, miasma scarlatinae id est peculiarem aliquam externam conditionem statuere placuit.

Reichius 1) existimat, naturam huius morbi in extinctione vitae totius epidermidis et in reproductione novae consistere ita ut, qui laboret scarlatina, comparandus avibus pennas ponentibus vel quadrupedibus pilos amittentibus, et recta via negat, scarlatinam a materia peculiari, quae dicitur venenum scarlatinosum, produci posse.

Attamen a scriptoribus demonstratum est et comprobatum, scarlatinam non nisi peculiari contagio vel miasmate gigni. Qua de re conferas:

Hufeland, System der pract. Heilk. B. 2.

Richter, spec. Therap. Th. 2.

Kreyssig, Abhandlung über das Scharlachfieber.

Cappel, Abhandl. vom Scharlachausschlage. Götting. 1803.

Reil, Fieberlehre. Praeclarus hic medicus illi

---

1) Neue Aufschlüsse über die Natur und Heilung des Scharlachfibers. Halle 1820.

veneno proprium nomen materiae scarlatinosae indidit.

Qua vero ratione agit haec materia in corpus humanum? Utrum primum systemati cutaneo inseritur, an prius pulmones afficit, sensim prorepens, donec tandem totum corpus in consensum trahit febremque illam singularem procreat, qua postea exanthema gignitur, quod proponit Ludovicus Hoffmannus? An, ut Simon credit, statim totum systematis nervosi complexum, nominatim vegetativum, corripit morbumque a centro ad exteriorem corporis ambitum excolit et transfert? Quae quidem quaestiones nondum sunt diiudicatae nec instrumentum, quo contagium transmittitur, nobis satis notum. Simon 1) negat, absolutam adesse materiam scarlatinosam, qualem Reilius sumserit, sed demum ex incognita quadam externa materiali conditione in corpus humanum influente peculiarem morbum oriri putat, quem scarlatinam denominamus. Itaque scarlatinam perinde atque alios epidemicos morbos ab externa imponderabili materia et quadam ratione corporis materiali produci, quam notione dynamica receptivitatis insigniamus.

Receptivitas corporis pro contagio scarlatinoso multo est impeditior, quam pro varioloso, siquidem multi homines eius periculo sese exponunt,

1) Horns Archiv, Jahrg. 1824.

nec tamen afficiuntur. Porro magis a constitutione aëris dependere videtur, quam alia exanthemata, quod elucet e diversa singularum epidemiarum natura, quae modo leniter et benigne decurrunt, modo perniciosissime saeviunt. Aër calidus, humidus praecipue vere et autumno procreationem miasmatis et propagationem morbi et malignitatem favere videtur, sicut et aliae res nocivae, quae gignendos epidemicos morbos adiuvant. Tandem puerilis aetas ab anno secundo usque ad decimum quintum praecipue in hunc morbum inclinari videtur, quamquam etiam adulti saepe ab eo afficiuntur.

Prognosis.

Exitus admodum est incertus atque dubius. Etenim in universum scarlatina adnumeranda est periculosisimis morbis creberrimeque lethiferis, qui quomodo sint desituri, nunquam certo praesagire licet, etiamsi decursus lenissimus et benignissimus periculumque minimum esse videatur, cito tamen aegroti abripiuntur et facile remanent morbi secundarii mali, qui etiam multum damni afferunt.

Ad prognosin specialem statuendam respicienda sunt: I. Indoles et complicatio febris, in qua contemplanda praecipue epidemicam constitutionem spectare opus est. Benignissimus est

decursus, si febris paullulum in statum inflammatorium vergit nec pulsus nimium agitatur; complicationes febris vero sunt periculosiores, et febris nervosa et putrida pessimae.

2. Affectiones loales vel iam vexantes vel imminentes, potissimum vehementia anginae. Modica Inflammatio colli et tonsillarum, mediocris dolor et difficultas in deglutiendo, praecipue tumore exterius in conspectum veniente 1) ceterisque symptomatibus non urgentibus, bonum signum habendum est. Quo vehementior vero, quo latius extensa angina est, quo gravior difficultas deglutiendi spiritumque trahendi, quo acerbior febris, eo maius periculum; si maculae cinereo colore in collo se monstrant, quae in ulcera pus tetrum excernentia transmutantur cum malo odore exhalato tenuique acri narium alas corrodente humore edito (phaenomenis anginae gangraenosae) pessimum est. Periculum instat, si affectiones cerebri accedunt, quae saepe timorem inflammati cerebri incutiunt; nec metus abest, quando inflammationes in alia nobilia organa irrepserunt, ob celeritatem, qua tales ad finem tendere consuerunt. Nausea, ipse vomitus et affectiones spasmodicae ante eruptionem exanthematis incidentes non semper sunt malae notae,

1) Hippocrat. Aphorism. 57. Sect. VI.

nec obstructio, nec diarrhoea, quamquam haec minus bona. Porro adspectus linguae non est negligendus, quae in initio morbi leviore albido tegumento obducta puniceoque margine circumscripta iubet meliora praesagire, quam si impura est et flava. Sopor et deliria consueta sunt signa, quae nihil periculi portendunt, nisi aegroti aegre vel omnino non excitandi sunt e somno; praecipue vero per diuturnitatem et vehementiam horum symptomatum res in discrimen vocari et facile encephalitis vel accessiones apoplecticae incidere queunt. Inde patet proprietas scarlatinae, quod etiam lenioribus formis magnam systematis nervosi agitationem ciet, nec tamen semper periculosam.

3. Copia et extensio exanthematis. Universale exanthema coloris e candido rubri aequaliter ubique proveniens, praesertim si non raptim erumpit, sed tarde nec ante diem tertium, boni est ominis; violaceus vero eius color saepeque subfuscus peiora praenunciat et crebro monet, difficilem decursum exspectare. Eadem valent de miliaria scarlatinae forma satis crebra. Exanthema inconstans, singulis tantum partibus efflorescens, modo pallidum modo obscurum, modo hanc, modo illam corporis regionem obtegens, cedens et rediens vel subito evanescens pessimum augurium capere iubet, quamquam interdum re-

pente abit sine noxa. Si exanthemate prorsus deficiente deliria atrocia cum febre conveniunt vehemente, est, quod timeamus de eventu. Quo copiosius tandem exanthema et quo latius per corpus effusum est, eo peius praesagium, eoque facilius insequuntur morbi secundarii.

4. Aetas et constitutio valetudinarii una cum stadio morbi; Cuiusque quidem aetatis et constitutionis homines hic morbus afficit, teneris tamen infantibus, potissimum qui nondum primum vitae annum excesserunt, maximum periculum affert; praeterea vero liberi saepe hoc malum facilius superant, quam adulti; sic nonnunquam et debilioris constitutionis et valetudinis homines levius ex eo emergere videmus, quam firmioris et robustioris.

Inter stadia secundum periculosissimum est propter suppressionem exanthematis, quae hic facillima incidit, et propter mala inde sequentia; hoc in stadio plurimi aegroti vita decedere solent. Tertium stadium exitiosum esse potest ob morbos secundarios inde partos; qua de causa in eo perpetuo animus intendendus est, ne fluidorum congeries fiat. Itaque si inter desquamationem vel paulo post urinae excretio minuitur et tumor quidam praecipue in palpebris observatur, hydrops incipiens est formidandus, cuius acuta forma cum febre coniuncta periculosior, quam chronica sine

febre; hydrops cerebri pectoris, abdominis perniciosior, quam anasarca.

C u r a t i o.

Discedit ea in duas partes, in curam prophylacticam et in curam therapeuticam. Febris scarlatina interdum tam maligna sub specie furuit tantamque hominum copiam morti adduxit, ut medici de remediis inveniendis meditarentur, quibus infectio posset praecaveri. Hunc in finem plura in usn habebantur medicamina, quae plus minusve auxilii praestiterunt. Commendata suut.

Emetica a Witheringio, Eichelio 1) quae maturius suppeditata materiam contagiosam, quamquam iam in corpore lateat, haud aliter atque in febribus nervosis et putridis, iterum eiicere vel saltem impetum erumpentis morbi admodum cohibere dicuntur.

Acida mineralio (a Neumanno 2), quae in dosibus largioribus adhibenda esse docentur. Profecto est, cur eorum usus laudandus videatur.

Calomel. Plures medici observabant, eos ad unum omnes a scarlatina mansisse immunes qui mercurio dulci usi fuerant praeservativo. In

---

1) Hufland's Journal. Vol.13. St. 4.

2) Aufsätze und Beobachtungen für Aertzte.

initio eum in refractis dosibus applicare et maiores interponere suadent. 1)

Belladonna. Hahnemannus. 2) doses in immensum minutas laudat, credens, speciem quandam scarlatinae iis progigni, posse, ut sitim, difficultatem deglutiendi scintillationem ante oculos, ruborem eorum etc.

Commemorandum est, nuperrimis temporibus plures medicos fide dignos usum Belladonnae in hoc morbo suasisse. Murbekius Demminensis et Sparmannus 3) se cum ea experimenta instituisse referunt. Neque tamen ratio, qua in hoc morbo agit, hactenus est stabilita.

Insertio artificiosa aeque atque in variolis et in hoc morbo apud Italos est adhibita, neque tamen cum prospero successu.

Cura therepeutica.

Ut multi alii morbi, ita etiam scarlatina iam per longum temporis spatium imperio diversorum systematum et scholarum in arte salutari erat subdita, qua de causa modo diaphoreticis, modo antigastricis modo excitantibus modo antiphlogisticis tractata est, quid quod etiam nostris tempo-

---

1) Kreyssig, Hufelands Journal. Vol. 12. u. 16.
2) Heilung und Verhütung des Scharlachfiebers.
3) Hufeland's Journal. 1821—22.

ribus tantum abest, ut medici de consilio medendi inter se consentiant, ut contra in diversissimas opiniones abeant. Dum alii nobis affirmant, solam excitantem vel antigastricam curationem vere esse salutiferam, alii haud minore vineratione digni nonnisi in sanguinis detractionibus usuque calomelanos omnem spem et salutem esse positam perhibent. Inde cogites, quaeso, quantis incertarum rerum impedimentis hodie tiro medicus implicitus sit, si in eo est elaborandum, ut apta et certa medendi ratio conformetur. Cui parti tunc fidem habeat? quam sequatur?

Eidem formae, contra quam Storchius, Witheringius, Plencizius et Bikerus per methodum antiphlagisticam agere solebant, per excitantem mederi studebant, qui iis successerunt. Postea Stieglitzius antigastricam methodum celebravit ducens, vomitum alvique ductionem in primo stadio et saepe per totius morbi decursum maximam opem ferre, et simul tempore matutino et vespertino calomel adhibuit,

Reichius primarium remedium in frigore inveniendum esse ait contenditque, qui id adhiberet, ei nunquam scarlatinam malignam obversaturam hanc enim unice ex inepto usu diaphoreticae methodi proficisci. Secundum Wendtium Vratislaviensem una tantum scarlatinae forma obvenit, eaque inflammatoria; quae enim nervosa

vel putrida nominaretur, nihil esse nisi ignoratam, neglectam, inepte tractatam formam inflammatoriam; inde venae sectionem et anchoram sacram interpositis dosibus calomelanos utilitatem afferre, emetica vero, quae Stiglitzius, aliique medici magnis laudibus efferunt, Wendtius admodum nociva et perniciosa esse credit, nec frigoris usum non condemnat.

Item Pfeuferus venae sectionem et calomelanon, praecipue vero acidum muriaticum oxygenatum, quo gastrica; quam esse existimat, febris inflammatoriae forma meliorem indolem accipiat, aliis anteponit.

Eundem statum, contra quem ante annos abhinc viginti camphoram, opium totumque excitantium medicaminum apparatum in auxilium vocabant, hodie sanguinis detractionibus aliisque adminiculis antiphlogisticis sanare volunt et utraque pars de prospero successu gloriantur. Quae sententiarum repugnantia quomodo est accipienda et interpretanda? Num, quae illi medici nobis retulere, in dubium vocemus, an naturam medicatricem de morbo malaque eius tractione victoriam reportasse putemus? At per malitiosam scarlatinae indolem, ut mihi videtur, hoc sumere nequaquam licet. Num forte, qui sequebantur priorem methodum nimia excitatione idem effecerunt, quod nunc assequimur venae sectione? Eteuim per methodum exci-

tantem saepissime idem, quod per contrarium debilitantem (antiphlogisticam) ad affectum adducimus, siquidem ea utimur usque ad hypersthenìam et ita consumtionem virium (astheniam) efficimus. Sic explicandum est aenigma, quod illa methodo, qui addicti ei erant, saepe morbos sanabant, quibus mederi olim non nisi per antiphlogisticum apparatum contigit *). Quid? num forte morborum indoles, quae tum temporis propius ad asthenicam accessisse dicitur, se transmutavit et nunc, scilicet ut systematibus nostris gratum faciat, magis appropinquavit indoli inflammatoriae? Qualecunque hoc sit, id tamen non infitiandum est et historicis argumentis ostendi potest atque comprobari, recentissimis etiam temporibus epidemias scarlatinosas malignissimae indolis exstitisse, in quibus febris haud raro statim ab initio naturam nervosam exhibuit.

Causae vero plerarumque harum opinionum sibi repugnantium in eo mihi positae esse videntur, quod scarlatina in symptomatibus suis saepe diversissimas species nobis praebeat, nec raro status sibi plane contrarios ante oculos nobis ponit: quae quidem diversitas a rationibus nobis ignotis miasmatis, constitutionis tempestatis et proprietatis aegroti corporis sine dubio dependet, unde fit, ut epidemias scarlatinosas modo magis in inflammato-

1) Hufeland's System T. I. p. 54.

riam, modo magis in nervosam indolem vergentes, modo cum gastricis, beliosis etc. complicationibus incidentes videamus. Sic ante duos annos tempore verno in urbe mea patria in Thuringia scarlatinam observavi grassantem, quae, quanquam benignissimam indolem leniter inflammatoriam habebat, in singulis tamen hominibus transformata est in malignissimum morbum, neque vero praeter proprietatem aegrotorum, peculiaris aliqua causa erat invenienda. Num vero character satis certus, quo una vel altera scarlatinae epidemia est insignita, ius nobis impertit, methodum universalem excogitare eamque in sanandis omnibus ceteris formis adhibere? Nequaquam. Medici observabant singulas epidemias peculiari indole excellentes, quibus fortasse methodus, qua utebantur, erat accommodatissima, tales formas deinde descripserunt et opinabantur, qualemcunque scarlatinam eodem modo esse tractandam viamque, qua ipsi aegrotos ad salutem reduxerunt, unicam esse et semper salutiferam.

Sic opiniones illas saepe sibi contrarias explicandas esse autumo. Medicus autem circumspectus, consilii plenus nullique scholae prae alliis addictus, curandi rationem non ad certae methodi normam moderabitur, sed proprietati aegri, statui peculiari naturae morbi adaptabit. Qualiacunque plures me-

diei de indole scarlatinae ex toto inflammatoria et de medelis antiphlogisticis instanter ab ea indicatis proferant, mihi tamen opinio, scarlatinam plerumque magis in ashenicam formam inclinare, veri videtur esse simillima 1) quod in propria indole scarlatinae singularique aetatis infantilis natura positum esse credo. Stieglitzius, qui haud dubie unam optimarum commentationum de scarlatina eiusque curatione edidit, iam dicit, si rem accurate, contemplemur, de febre scurlatinae vere inffammatoria sermonem esse non posse; Simon quoque hunc morbum unquam mete inflammatorium se ostendere negat. Utique videmus eum, praesertim si benigne decurrit, saepe cum charactere inflammatorio, qui dicitur, incidere; at vero hic creberrime nihil est nisi excitatio systematis sanguiferi per breve tantum tempus plerumque continens, quae se affectionibus systematis nervosi associare consuevit et ita nonnunquam invalescit, ut febris synocha, praecipue vero inflammationes internorum organorum, potissimum cerebri, inde nascantur; a vera tamen harum partium inffammatione dissidere videntur. Frequenter etiam nervosas pulmonum aliarumque partium inflammationes, quas dicunt, enasci videmus, neque tamen per solum antiphlogisticorum

1) C. F. Hufeland.

remediorum apparatum iis mederi valemus. Etiamsi vero systemate vasorum graviter excitato magnam utilitatem capimus e sanguinis detractione, utpote qua omissa celerior in astheniam transitus esse solet, etiamsi status nervosus, qui nobis impugnandus sequitur, lenior redditur praemissis apte antiphlogisticis remediis ad excitationem illam inflammatoriam, quae esse videtur, tollendam, tamen non est, cur inde efficiamus, formam febris vere inflammatoriam subfuisse.

Qua de causa cura scarlatinae nunquam e singulis symptomatibus depromatur, sed ad universalem morbi characterem instituatur atque dirigatur. Anginam vero et exanthema praecipue respicere oportet, quamquam Stieglitzius febrem esse summi momenti, exanthema minoris existimat.

Inde scarlatinam tractaturi plurimum interest, diversas febris formas bene dignoscere; sunt hae:

1. Febris scarlatina lenis benigna plerumque leviter inflammatoria. Haec forma minus indiget medicaminum usu. Nonnulli tamen medici, emetica et laxantia commendant, quibus malignitatem morbi praecaveri credunt 1) Revera summendum est, haec remedia multum profectura, dummodo modum eorum habemus, ne organa digestiouis, quibus praecipue opus est ad vires refocillandas, nimium dibilitentur. Optime huic statui prospicimus, si modo remedia refrige-

rantia, acida vegetabilia, leniter laxantia adhibemus, utputa tart. tartar. cum vin. antim. Huxham. Tamarind. etc. si diaetam modicam non excitantem iubemus, si temperiem in conclavi frigidiorem quam calidorem praecipue in duobus primis stadiis, largasque potiones, maxime ex acidis vegetabilibus paratas, limonadam, aquam saccharo mixtam etc. praescribimus. Simul vero volatilis exanthematis scarlatinosi natura summam medici exquirit attentionem, ut mature animadvertat, si forte alias formas init.

2) Forma magis inflammatoria, febris synochica, composita. In hac febris exardescit acrius, omnia symptomata invalescunt et nobile aliquod internum organon subita inflammatione corripi potest, quod alii, ut iam supra memoratum, emeticis mature abhibitis, alii laxantibus, alii frigidiore aëris temperie avertere sperant et credunt. Hic religiosius apparatus antiphlogisticorum remediorum in usum vocandus est, venaeque sectio instituenda, sed caute et mature; hirudines etiam, calomel, emetica, leniter laxantia aërque circumdans frigidulus multum prosunt, ne tamen aeger refrigerium patiatur. Ita nimias vires moderari studemus, ut inflammationis vehementia frangatur et crisis perficiatur. Hic status sive eex parte sive ex toto sit inflammatorius, facile et cito in

astheniam transit, et huiusmodi inflammationes celerrimo utuntur decursu.

3. Scarlatina cum febre typhosa. Haecce, ut putant aliqui autores, partim e perversa priorum febrilium formarum tractatione proficiscitur, partim statim ab initio nervosam suam indolem manifestat, profecto pessima forma, vitam in summum discrimen vocans, quae ceteroquin plane eadem, qua febri nervosae mederi studemus, ratione tractanda est. Si originem ducit e priore forma magis inflammatoria, tunc mittimus methodum antiphlogisticam cauteque utimur excitante; sed mature haec rei mutatio a nobis sit cognita oportet. Usurpamus leniter excitantia et interna et externa et vim eorum augemus convenienter vehementiae febris; suppeditamus inde infusa Valerianae, Angelicae, Serpentariae, Camphoram, Moschum, Naphthas, vinum, Calomel, acida mineralia, Chinam etc.; et quae ultimo loco nominavimus, praesertim cum character morbi propius ad putrescentiam accedit, in fructu sunt habenda.

Currie maxime suadet balnea cum aqua frigida violenter ex alto praecipitata; sed circumspecte cum his agendum nec forma nec complicatio, a qua potissimum indicantur, accurate satis est definita. Sola vero cataplasmata frigida capiti imposita et in nervosa et in inflammatoria forma certissime amultm sunt profutura.

In principio scarlatinae, si de maligno nervoso charactere suspicio incidit, emetica mature porrecta, plurimum proficiunt, partim quod malam morbi rationem transmutant in meliorem, partim quod fortasse tractum intestinorum simul in consensum trahunt, inde morbum aliquantum frangunt vel derivant. Serius acida mineralia per se et cum valeriana etc. coniuncta saluti conducere et praecipue tempestive propinata morbum, quo minus in statum nervosum vel putridum abeat, impedire videntur, nisi qua contraindicatio eorum usum vetuit, sique status omnino gastricus biliosus vexabat, qui saepe plus minusve molestus subest.

Localis anginae tractatio secundum maiorem minoremve eius vehementiam moderanda est, neque tamen ea tota potest removeri, quippe quae ad naturam morbi pertineat. Inflammatione invalescente, hirudines, inunctiones, cataplasmata, iniectiones adhibemus et linctum ex Syr. moror. cum acido sulphur. dilut. vel similibus paratum suppeditamus. Malo magis increscente et suppuratione vel gangraena oriente infusa vel decocta ex aromaticis herbis, hb. Salviae, Scordii, rad. Pimpin., China, alumine, myrrh., camph., acida mineral. etc. iniicimus et penicillo illinimus, [aegrotum semqer in lateribus iacere iubentes, ut sanies ex ore effluere queat nec difficultates mo-

veat alias. Eodem tempore damus apta antiseptica interne.

Deliria et alias affectiones cerebri, quando invalescent, sanamus secundum indolem suam; ea vel sunt nervosa vel ex congestionibus et nimia copia sanguinis in cerebro orta; si hoc est, hirudines, vesicantia, cataplasmata frigida etc. applicamus.

Exanthemate subito recedente, malisque phaenomenis, magno angore, sopore et id genus aliis ingruentibus, illud revocare studemus.

Hac ratione diversa stadia scarlatinae tractamus, perpetuo in naturam febris habito respectu. In duobus primis stadiis lenem quidem sed frigidiorem quam calidiorem: aëris temperiem curamus, in tertio autem paulum calidiorem: Hic praecipue coniiciamus in collectiones aquae facile incidentes, quia in hoc stadio actio alternans cutis et vasorum serosorum permagna esse videtur. Qua de causa inprimis functionem systematis cutanei sustentando, calomel etc. adhibendo, aptam diaetam ordinando, et abalienando omnem occasionem refrigerii et pathematum animi studemus impedire, ne aegrotus in hunc statum labatur. Sin vero, omnibus his rite absolutis, tamen colluvies hydropica oritur, eam convenienter naturae suae sive acutae sive chronicae, impugnamus. Inde antiphlogistica leniora, Calomel cum diureticis et diaphoreticis coniunctum, et calida et frigida re-

media adhibemus, derivare studemus, partem affectam fricari curamus etc. Sin hydrops potius ex debilitate natus est, chinam cum diureticis et diaphoreticis remediis soniungimus.

Cum vero enumeratio cuiusque morbi secundarii e scarlatina orientis et descriptio modi, quo cuique medendum sit, fines huius libelli longe excederet, satis nobis sit, annotasse, omnes morbosas affectiones post scarlatinam remanentes vel ex ea se evolventes secundum formam suam et naturam peculiarem esse tractandas.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Friedericus Carolus Liebeskind, Kelbrae oppido in Thuringia patre optimo et matre e gente Kindervateriana, quos iam diu defunctos esse admodum lugeo, Anno MDCCXCI. quinto die mensis Septembris natus sum. Usque ad undevicesimum annum litteris, quibus aetas iuvenilis imbui solet, in schola urbis patriae instructus sum. Deinde Erfurtum me contuli, et rei medicae et chirurgicae operam dedi. Anno MDCCCXIII cum omnis iuventus ad libertatem recuperandam arma prehenderet, et ego sacro huic officio satisfaciendum putans inter Russos medici munere functus sum. Pace reversa Berolinum migravi; paulo post vero bello iterum exorso denuo in exercitu borussico officia medici militaris suscepi.

E Gallia redux anno MDCCCXVII. mens. maio celeberrimam hanc musarum sedem adii et Rectore Ill. Link in album civium academicorum receptus sum. Hic moratus usque ad aestatem anni MDCCCXIX, reversus sum in urbem patriam, ubi studiis meis rebusque familiaribus occupatus ad annum usque MDCCCXXIII. vixi. Autumno huius anni iterum Rectore Ill. Hoffmann civibus academicis me adscribi curavi, et his praelectionibus interfui: Ill. Hufeland de morbis acutis chronicis et macrobiotica. Ill. Horn de Pathologia, Therapia speciali, morbis mentis et lue venerea. Ill. Graefe de Chirurgia et morbis ossium dynamicis. Ill. Rudolphi de Encyclopaedia, Anatomia universali, et pathologica, Physiologia et de organis sensuum. Ill. Kuape de Osteologia, Syndesmologia, neque exercitationibus in anatomice practicis in regio theatro anatomico duce Ill. Rudolphi et Knape defui. De Botanice venenis et antidotis Ill. Link audivi, Ill. Siebold de arte obstetricia theoretica et practica, Ill. Kluge de arte obstetricia et cura fracturarum luxationumque, Ill. Osann de materia medica et fontibus medicatis, Celeberr. Turte de chemia et physica experimentali, artem formulas consbribendi medicas Ill. Wolfart me docuit. Semiotice Exp. Hecker, ophtalmiatrice, Akiurgia nec minus fascias applicandi arte Exper. Jüngken me imbuit. Clinica autem Ill. Hufeland,

Horn, Neumann, Graefe, Rust, de Siebold frequentavi.

Tentamine nunc et examine rigoroso coram grasiosa medica facultate rite peractis, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur, submisse spero.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Febris gastrica non existit.

II.

Hydrargyrum muriaticum mite et Acida uno eodemque tempore in febribus adhibenda sunt.

III.

Specifica omnino sunt.

IV.

Partus praematurus artificialis saepe indicatur.

V.

Defectus hymenis non est certum deflorationis signum.